



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Et Conventvi sancti Mauri Andegavensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

peruæ in monasterio ipso valeat usurpari. Tu ergo, fili Abbas, ita vigila circa ipsum ut alienam non oporteat ibi vigiliam adhiberi; ne si secus faceres, aliter nos de ipso compelleres cogitare. Datum Laterani **II.** Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

*LARISSENO ARCHIEPISCOPO,  
& Episcopo Davalesi, & Ciriensi electo.*

*Ep. 153.  
Dilectionis  
Consecratio  
in loco nro.  
Thamoff.*

**V**enerabilis fratri nostri Episcopi & dilectorum filiorum Capituli \* Cermopilenis nobis exposita significatio patetecit quod destructa quandam Cermopileni civitate per guerrarum incursum, Episcopus & Canonici qui tunc erant, in loco quem Bondoniam vocant incolae secus mare quoddam oratorium, ut divinum in eo celebrarent officium, construxerunt, quem locum adeo piratis & aliis malefactoribus pervium alseverant quod plerique superveniant Canonicis ibidem volentibus celebrare, quorum timore iudicem Canonici, vestibus & aliis ecclesiasticis ornamenti abjectis, relictoque Dei servitio, fugam pertunt, personarum periculum metuentes, cum quidam Episcopus, tertius a praefato Episcopo qui nunc praest, ab hujusmodi malefactoribus in eodem loco crudeliter fuerit interemptus. Vnde à nobis humiliter postularunt ut indemnitati Ecclesiae ac securitati eorum misericorditer providentes, eis concedere dignaremur ut in abbatia quæ Communio vulgariter appellatur in proprio Cermopilenis Ecclesiae fundo sita valeant commorari. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus inquisita super iis diligentius veritate, si necessitas hoc exposit, ipsis sine præjudicio monachorum in dicto monasterio commorandi, donec alias provideatur eisdem, auctoritate nostra sublato appellationis obstaculo licentiam tribuatis, contradictores per censuram ecclesiasticam applicatione postposita compescentes. Nullis litteris veritati & justitiae præjudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. duo velutrum ea &c. Datum Laterani **VIII.** Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

*ABBATI ET CONVENTVI  
sancti Mauri Andegavensis.*

*Ep. 151.  
Fidei sancti  
Fidei de Cale-  
ta adjudica-  
tiva.*

**C**um causam quæ super jure patratus Ecclesie sancti Petri de Culturis inter vos & Andegavensem Ecclesiam Tom. II.

vertebatur dilectis filiis Decano sancti Petri & de Cella & sanctæ Radegundis Prioribus Piætavensibus commiserimus decideram, ipsi utriusque partis receptis testibus, instrumentis & aliis rationibus intellectis, usque ad diffinitivam sententiam servato juris ordine procedentes, ad nos causam eandem remiserunt instructam, partibus terminum præfigentes quo cum attestationibus ipsis & aliis instrumentis nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in nostra præfentia constitutis, inspectionem instrumentorum & testium depositiones dilectis filiis Iohanni sanctorum Cosme & Damiani & Pelagio sanctæ Luciæ ad septa solis Diaconis Cardinalibus duximus committantem: qui cum omnia inspexissent diligenter & nobis fideliter retulissent, jus patronatus ipsis Ecclesie sancti Petri de Culturis adjudicavimus monasterio sancti Mauri, Andegavensi Ecclesie super hoc perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo &c. hanc paginam nostræ diffinitiois infringere &c. usque incursum. Datum Laterani **IIII.** Idus Februarij, pontificatus nostri anno undecimo.

*EPISCOPO ET CAPITVLO  
Lexoviensibus.*

**C**um thesauriam pariter & præbendam quas bona memorie Iohannes Subdiaconus noster in Ecclesia vestra te-  
Ep. 154.  
De thesauraria  
& præbenda  
Lexoviensi re-  
servatis à Pa-  
pa.  
nuit donationi nostræ dudum reservasse. pa.  
mus personæ idoneæ conferendas, te, frater Episcope, per nostras litteras & monuimus & rogavimus ut in hoc ita grauitutum impertireris assensum & tuam nobis quantocius super eo rescriberes voluntatem quod ipsarum demum collatio tua liberalitati non minus quam nostra posset gratia imputari; quarum profecto collationem sic in nostra retinuisse nos intimavimus potestate ut donec tuum ad nos responsum & nostrum tandem ad te recurreret beneplacitum, super eis nihil ab alio de ipsis attentari liceret, & si quid interim attentari contingeret, irritum decrevimus & inane. Vos autem nobis per vestras litteras responditis quod cum de ipsis Iohannis obitu vobis certissime constitisset, decimo die ante quam vel per nuntium vel per litteras super iis quicquam vobis de nostra innotesceret voluntate, thesauriam dilecto filio magistro Willermo Arundel, cui multiplex morum asseritis & litterature meritum suffragari, præbendam verò in duas portiones diuisam

L 1